

IX

AD LOLLIVM

Strophe Alcaica

Nē forte crēdās interitūra, quae
Longē sonantem nātus ad Aufīdum,
Nōn ante vulgātās per artēs
Verba loquor socianda chordīs :

Nōn, sī priōrēs Maeonius tenet
Sēdēs Homērus, Pindaricae latent,
Cēaeque et Alcaē minācēs,
Stēsichorīve gravēs Camēnae ;

Nec, sī quid ōlim lūsit Anācreōn,
Dēlēvit aetās ; spīrat adhūc amor,
Vīvuntque commissī calōrēs
Aeoliae fidibus puellae.

Nōn sōla cōmptōs arsit adulterī
Crīnēs, et aurum vestibus illitum
Mīrāta, rēgālēsque cultūs
Et comitēs, Helenē Lacaena ;

Prīmusve Teucer tēla Cydōniō
Dīrēxit arcū ; nōn semel Īlios
Vexāta ; nōn pūgnāvit ingēns
Īdomeneus Sthenelusve sōlus

Dīcenda Mūsīs proelia ; nōn ferōx
Hector, vel ācer Dēiphobus gravēs
Excēpit ictūs prō pudīcīs
Coniugibus puerīsque prīmus.

Vīxēre fortēs ante Agamemnona
Multī ; sed omnēs illacrimābilēs
Vrgentur īgnōtīque longā
Nocte, carent quia vāte sacrō.

Paulum sepultae distat inertiae
Cēlāta virtūs. Nōn ego tē meīs
Chartīs inōrnātum silēbō,
Totve tuōs patiar labōrēs

Impūne, Lollī, carpere līvidās
Oblīviōnēs. Est animus tībī
Rērumque prūdēns, et secundīs
Temporibus dubiīsque rēctus ;

Vindex avārae fraudis, et abstinēns
Dūcentis ad sē cūncta pecūniae ;
Cōsulque nōn ūnius annī,
Sed quotiēns bonus atque fīdus

Iūdex honestum praetulit ūtilī, et
Rēiēcit altō dōna nocentium
Vultū, et per obstantēs catervās
Explicuit sua victor arma.

Nōn possidentem multa vocāveris
Rēctē beātum ; rēctius occupat
Nōmen beātī, quī deōrum
Mūneribus sapienter ūtī,

Dūramque callet pauperiem patī,
Pēiusque lētō flāgitium timet ;
Nōn ille prō cārīs amīcīs
Aut patriā timidus perīre.